UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni Bredenbachij S. Th. D.||

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

16. De impio Iudæo suum filium in fornacem ardentem conijciente, ob odium fidei Christianæ, quem B. Virgo in mediis fl[am]mis illæsum conseruauit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-65002

Visual Library

in mandatis accepit, vt maiorem vitæ ac morum indueret grauitatem, ſeque à riſu, iocis, omnique leuitate puellari abſtineret: ita demũ fore, vt die trigeſimo puellis aliis, quas præſentes adſpiceret, conſociaretur, atq; in ſuum miniſterium cooptaretur. His monitis paruit Muſa, & deinceps ſupra ætatem ac conſuetudinem grauiter ſeſe geſſit, vt ſubitò mutaſſe mores, &, ſicut aiunt, nuces reliquiſſe videretur. Parentes etſi hanc adeò repentinam filiæ mutationem primùm admirarentur, tamen cùm factę apparitionis arcanum intellexiſsẽt, puellæ inſtituto non repugnarunt, fidemque certiorem narrationi compræbuerunt, quod ſequens mors filiæ trigeſimo die ex hac vita migrantis viſionem non vanam eſſe monſtraret. Moritur verò, Deipara rurſus apparet, ſpecioſis illis puellis, vt antè ſtipata, quæ Muſam vt ad ſe veniat, vocare dignatur. Mox puella quantumuis moribunda oculis reuerenter depreſſis, & aperta voce clamando reſpondet: Ecce Domina venio. Ecce Domina venio. In qua etiam voce, vt Gregorianis verbis vtar, ſpiritum tradidit, & ex virgineo corpore, habitatura cum ſanctis virginibus exiuit.

*Gregorius Turonenſis libro de gloria plurimorum martyrum cap. 8. De impio Iudæo ſuum filium in fornacem ardentem coniiciente ob odium fidei Chriſtianæ, quem B. virgo in mediis flammis illæſum conſeruauit.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## CAP. XVI.

IVdæi cuiuſdam vitriarij filius, cùm apud Chriſtianos pueros ad ſtudia literarum exerceretur, quadam die dum Miſſarum ſolẽ in Baſilica B. Mariæ celebrarentur, ad partici-pationem glorioſi corporis & ſanguinis Do-mini cum aliis infantibus infans acceſſit. Quo ſancto aſſumpto gaudens ad domum patris reuertitur, illoq́ue imperante inter amplexus & oſcula, quæ acceperat, cum gaudio refert. At ille Chriſto Domino ac eius legibus ini-micus, ait: Si cum eis infantibus communi-caſti, oblitus paternæ pietatis, ad vlciſcendam Moſaicæ legis iniuriam parricidus in tedum exiſtam. Et apprehenſum puerum, in os for-nacis ardentis proiecit, multaque ligna, quo vehementius exureretur, iniecit. Hoc cum audiſſet mater, quod ſcilicet filium commu-nem pater deliberaſſet exurere, cucurrit ad li-berandum eum. Sed cùm audiſſet incendia ab ore fornacis patulo huc atque illuc flamma dominante reſpergi, ornatum capitis ad ter-ram proiecit, diffuſaque cæſarie, ſe miſeram clamitans, ciuitatem vocibus implet. At cum Chriſtiani quod actum fuerat, didiciſſent, cõ-currunt omnes ad tam iniquum ſpectaculum, retractiſque ignibus ab ore fornacis, inueniũt puerum quaſi ſuper plumas molliſſimas de-cumbentem. Quo extracto admirãtur omnes illæſum: clamoribus locus ille repletur,

ſicDominum omnis populus benedicit. Conclamant etiam, vt authorem huius ſceleris in ipſas proijcerent flammas. Proiectum autem ita totum ignis abſorbuit, vt vix de oſſibus paruum quodammodo relinqueretur indicium. Interrogantes autem infantulum Chriſtiani, quale ei inter ignes fuiſſet vmbraculū, ait: Mulier, quæ in Baſilica illa, vbi panem de menſa accepi, in cathedra reſidens, paruulum in ſinu geſtat infantem, hæc me pallio ſuo, ne ignis voraret, operuit. Vnde indubitatum eſt, B. ei Mariam apparuiſſe. Eandem hiſtoriam confirmat Glycas, & Menam Patriarcham adfuiſſe dicit, qui totam rem expoſuerit Iuſtinociius nominis ſecundo Imperatori. Quis vero neget Deiparam hic non ſolum adfuiſſe, vt puer in medio flammarum incolumis conſeruaretur, hocque miraculo complures Iudæi, vt & factum eſt, ad veram fidem conuerterentur?

*Petrus Caniſius Theologus lib. 5 cap. 21. de B. virgine Maria. Quomodo Deipara virgo Ioanni Patritio Romano & Liberio Pontifici apparuerit, & miraculo per niuem oſtenſo, locum nouo templo ſtruendo demonſtrarit.*

## CAP. XXVII.

IOanni Patricio vereq; nobili Ciui Romano, glorioſa Virgo per quietem oblata eſt, ſimulque monuit, qua ratione ſuas ille opes optimè collocaret, ſicut ille iampridem ſcire deſi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN